

in thorace inflicto flatus exeat, qui accensam  
 candelam iuxta ipsum appositam extinguit,  
 aut si aponia, hoc est vocis priuatio eueniat,  
 aut si sonorus flatus ore emittatur, si denique  
 expuitio simul cruenta & spumosa sit. Eam  
 quoque tunicam, quæ costas succingit, faucia-  
 tam esse indicat vulnus ipsum in thorace in-  
 flicto, è quo etiam flatus exit, qui eandem  
 candelam ei appositam suffocat. Si præterea  
 ex thorace vulnerato serofus sanguis effluit,  
 vulnus pericardium occupare significat, quod  
 quidem perinde lethale est, atque illud quod  
 cordi infligitur, sed hoc celerius illud verò tar-  
 dius hominem è medio tollit. Ex vulnerato  
 autē corde statim pulsus arteriarū, aut lāguet,  
 aut aboletur: color item repentè fit pallidus,  
 extremarum corporis partium sudor frigidus  
 percipitur. Quinetiam ob vulnus in diaphrag-  
 mate inflicto, respiratio rara & difficulter fit,  
 eo quòd hoc membrū sit respirandi, primū ac  
 præcipuum instrumentum: deinde æger deli-  
 rat: quo delirio correptus, continuo ridere vi-  
 detur: cuius risus sardonius est, qui quidem  
 musculis labra cōstituentibus fieri solet. Dia-  
 pragmati, item, fauciato talis risus éuenit: pro-  
 pterea quòd huiusmodi musculorum nerui,  
 qui labra constituunt, cum eis consentiunt, qui  
 ad diaphragma feruntur, & eo propagantur.  
 Exinde præcordia sursum contrahuntur do-

*phora*

*J. H. a' Krostviz*

*Ratio risus Sar-  
 donij ob vul-  
 nus diaphragma-  
 tis.*